

quibus diserte Euripides citatur. qui plura cupit, inspiciat lexicorum indices.

codice secundae classis usus est auctor dramatis *Christi patientis*, cuius mutationes, interdum elegantes, nonnullis locis commemoravi.

veteres *editiones* nullius sunt pretii, nisi quod paucas praebent emendationes.

*emendationis* coniecturaeve auctorem eum, qui primus eam protulit, nominavi, et pedisequorum et eorum nominibus omissis, qui dudum reperta pro novis venditarunt. e magno coniecturarum numero elegi eas, quae mihi maxime notabiles videbantur. nullam me effugisse affirmare audeo.

scribebam Vratislaviae m. Octobri a. 1877.